



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. III. Partes potentiales temperantiæ,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

Ad virtutem istam spectat egregium illud Tertulliani elogium initio libri de pudicitia
flos morum, honor corporum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis.

ARTICVLVS III.

Partes potentiales temperantiæ.

19. **P**artes potentiales alicujus virtutis illæ dicuntur, quæ modum, quem ipsa virtus ponit circa materiam principalem, vel difficiliorem, observant in alijs materijs, quæ minùs habent difficultatis: unde cum proprium temperantiæ sit refrænare & reprimere impetus passionum circa delectationes tactûs, quæ difficiliùs compescuntur, virtutes refrænanter impetus nostrarum passionum & affectionum circa alias materias, vel actiones externas moderantes, possunt illi tanquam virtutes secundariæ adjungi, & partes potentiales temperantiæ appellari. Illæ verò à D. Thoma quatuor numerantur, nimirum continentia, mansuetudo, clementia, & modestia: sub qua plures aliæ paragrapho sequenti recensendæ, continentur.
10. Continentia, quæ primo loco ponitur, non sumitur hîc pro virtute refrænante & reprimente passiones, quæ sunt circa venerea, quo pacto convertitur cum castitate, sed pro quodam habitu, per quem voluntas resistit passionibus concupiscibilis, taliterque in bono firmatur, ut quantumvis hujusmodi passiones exurgant & intumescant, non trahatur ab illis contra rectum judicium rationis. Unde munus hujus habitûs est, non passiones refrænare aut compescere, sicut facit virtus continentia, sed duntaxat firmare & detinere voluntatem, ut illarum impetus non sequatur. Ex quo fit illum non esse simpliciter virtutem, quamvis ad genus virtutis reducatur ut aliquid imperfectum: est enim de ratione virtutis, facere opus perfectum, atque adeo rectificare adæquatam ejus principium; quod sane principium, in actibus qui sunt circa passionum objecta, non est sola voluntas, sed etiam appetitus sensitivus: unde quia continentia non perficit hujusmodi appetitum ad rectè apperendum, sed relinquit in eo passiones immoderatas, licet voluntatem firmet ac deinceps, ne sequatur ipsas passiones, ideò deficit à ratione perfectæ virtutis, & est veluti semivirtus, ut docet S. Thomas hîc quæst. 155. art. 1.
11. Mansuetudo, quæ etiam mititas vocatur, est virtus, quæ passionem iræ ita componit & moderatur, ut non permittat eam exurgere, nisi cum oportet, & in ea mensura in qua fuerit necessarium. Licet enim nunquam iræ ita dandus sit locus, ut judicium rationis perturbet, interdum tamen honestum & necesse est moderatè irasci ad serviendum iustitiæ, vel pro iuvanda fortitudine, quæ utitur irâ in suo actu aggressionis: & ita Christus iram excitavit, dum, facto ex funiculis flagello, mercatores eiecit de templo. Unde Aristoteles 4. Ethic. cap. 5. *Qui igitur (inquit) ob quæ oportet, & quibus oportet irascitur, addo etiam quomodo, & quando, & quousque debet, laudatur, esseque is mansuetus potest, quippe cum mansuetudo ipsa laude afficiatur. Mansuetus enim ille est, qui perturbatione vacat, & ab affectu minimè ducitur, sed quemadmodum ratio ipsa statuerit, ita & ob id, & tandem succenset.*
21. Mansuetudini affinis est clementia: unde aliqui

A eas non distinguunt. Sed revera differunt; ut docet S. Thomas hîc quæst. 157. art. 1. Licet enim utraque mitiget iram circa vindictam, sub diversa tamen ratione id præstant; mansuetudo quidem, quatenus id decet animum iræ dominantem: clementia verò; quatenus id consentaneum est homini in potestate constituto. Unde Seneca lib. 2. de clementia cap. 3. definit clementiam, *Temperantiam animi in potestate ulciscendi: vel lenitatem superioris adversus inferiorem in constituendis pænis.* Decet enim illum non uti totâ suâ potestate in illo munere, sed aliquid de pœna remittere, & infra meritum punire: sicut è contrario decet in præmio retribuendo aliquid addere, & supra condignum remunerare: ut ita humani Principes, aut Judices Deum imitentur, qui præmiat ultra condignum, & ad id ex propria inclinatione, & innata bonitate tendit; punit autem citra condignum, & non nisi provocatus nostris demeritis, ac veluti coactus, juxta illud Tertulliani lib. 2. contra Marcionem, *Deus ex seipso bonus est, ex nobis iustus* (iustitiâ vindicativâ.) Prior est bonitas Dei secundum naturam, posterior severitas secundum causam: illa propria, hæc accommodata; illa edita, hæc adhibita.

Ex his intelliges, mansuetudinem communem esse omnibus personis: clementiam verò propriam esse Superiorum & Judicum, quibus determinatio pœnæ pro delicto incumbit; specialiterque spectat ad Principem, quem valde decet pœnas & supplicia in sibi subiectos benignè mitigare. Unde Ovidius.

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis,

Convenit & tanto, quantum & ipse viro.

Enituit virtus hæc præcipuè in Theodosio, cujus tanta fuit erga hostes benignitas & clementia, ut de ipso hæc referat Ambrosius in oratione de ejus obitu: *Beneficium se putabat accepisse, cum rogaretur ignoscere, & tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio major iracundiæ. Et optabatur in eo quod in alijs timebatur, ut irasceretur. Sæpe tremantes vidimus quos objurgabat, & convictos sceleris, cum desperassent, solutos à crimine. Vincere enim volebat, non plètere, æquitatis iudex, non pœna arbiter, qui nunquam veniam confitenti negaret.*

Quarta virtus temperantiæ annexa est modestia, à modo dicta, quia nimirum modum statuit, qui in humanis affectionibus & actionibus, in gestu corporis, ejusque cultu & vestitu, servari debet; ita ut hæc omnia decenter & congruenter se habeant, secundum personæ statum: modestus enim dicitur, qui circa illa omnia moderatè & congruenter se habet, modumque sibi convenientem tenet. Virtutis hujus summum decus neminem fugit: nam modestiam esse Dei portionem, id est partem notarum habitationis Dei in homine, egregiè dixit Ambrosius 1. offic. cap. 18. Erumpit etiam foras ejus decor, & ut verbis Tertulliani utar lib. de cultu fæmineo cap. 13. *Emanat ab animo in habitum, & eructat à conscientia in superficiem, ut & foris inspiciat quasi suppellectilem suam.* Unde Ambrosius serm. 10. in Psal. 128. egregiè ostendit, virum modestum, vel si videatur, prodelle; adductaque ejus animalis similitudine, quod si ab icterico conspiciatur, sanat conspicientem, demonstrat probi hominis, rectèque compositi, vel aspectum esse contentibus salutarem. Hinc Basilii lib. de virginitate, virginem instruens ait, eam dum procedit in publicum, talem se & habitu & incessu, & toto corporis motu debere exhibere, ut qui illi

De Pœn
Eleg. 5.

forte obij fuerint, ac si vivum Dei simulacrum aspicerent, faciem ad reverentiam atque admirationem sanctitatis inclinent; honesteque virtutis admoniti, mentem pudicam & sobriam referant; & reminiscatur quisque protinus Dei, dum eam cernit effigiem, quæ se ad ejus perficienda mandata semper exercet. Atque, ut breviter dixerim, omnium aspicientium virginem & affectus, & animus ad virtutis transferatur amorem. Consentaneæ ad hæc S. Ignatius Epist. ad Trallianos, Præfatus modestiam vocat magnam aliorum disciplinam.

ARTICVLVS IV.

De varijs modestiæ speciebus.

24. Quatuor vel quinque modestiæ species distinguit D. Thomas hic quæst. 160. art. 2. nimirum humilitatem, studiositatem, modestiam morum, ad quam Eutrapelia reducit, & modestiam cultus. Ratio verò hujus divisionis est, quia ultra passionem concupiscentiæ, quas moderantur temperantia & continentia; & ultra passionem iræ, quas mansuetudo & clementia refranant, quatuor alia sunt, in quibus etsi non adeo difficile est mediocritatem rationis servare, quàm in passionibus iræ & concupiscentiæ, egent tamen moderamine, & virtute aliquâ per quam cohibeantur. Primum est affectus spei tendentis ad excelsa, & hunc moderatur humilitas: studium suæ appetitus cognoscendi, & ad hujus moderationem ponitur studiositas: motus & gestus corporales, pertinentes ad externam conversationem, tam in factis, quàm in dictis; pro quibus in rebus serijs ponitur modestia morum, in ludicris autem eutrapelia: & denique exterior apparatus vestium, utensilium, & hujusmodi; & horum moderatio spectat ad modestiam cultus, sive apparatus exterioris.

25. Prima ergo species modestiæ est humilitas, quæ sic à D. Thoma definitur: *Humilitas est virtus, quâ quis considerans suum defectum, tenet se in infimis, secundum modum suum.* Dicitur *Virtus*: quia cum honestum sit unumquemque amplecti quod sibi congruit, & continere se intra propriam mensuram, habitus quo ad id inclinamur, non potest non esse vera virtus. Subditur: *Quo quis considerans suum defectum*, quia licet humilitas dicat formaliter habituale propositum, quo vis affectiva abjectionem unicuique convenientem amplectitur, præsuppositivè tamen importat cognitionem, quâ quis defectus suos considerans, reputat se indignum ætimatione & honore, dignumque abjectione & aspectu. Unde sic definitur à D. Bernardo: *Humilitas est virtus, quâ quis verissimâ sui cognitione sibi ipsi vile scit.* Tandem dicitur: *Tenet se in infimis, secundum modum suum*, ut denotetur, materiam intrinsecam humilitatis esse internum animi motum & affectum, quem refranat, ne tendat in sui celsitudinem supra id quod oportet, sed intra mensuram ex proprijs meritis sibi debitam se contineat.

Lib. de
gradibus
humilitatis.

26. Ex his colliges primò contra Theophylum Raynaudum lib. 6. de virtutibus sect. 2. cap. 13. quòd licet humilitas & magnanimitas habeant cohibere affectum hominis, ne inordinatè tendat in excelsa, nihilominus inter se distinguuntur, quia diversimodè id præstant: ut eruditè demonstrant Salmanticenses in explicatione arboris prædicamentalis, sive in generali divisione om-

nium virtutum, quam in fine Tomi primi in primam secundæ subjecerunt. Nam magnanimitas (inquiunt) primario id facit impellendo & confortando ipsum appetitum, ut per vires à Deo receptas, vel promissas, tendat ad magna: secundario verò illum detinet, ne in improporcionata extollatur. Humilitas e contra primario refranat appetitum, ne tendat in ardua & excelsa, quærens propriam exaltationem: secundario autem confirmat ipsum, ne dum videt propriam insufficienciam & impotentiam, à magnorum prosecutione, divini immemor auxilij, nimis deficiat. Unde magnanimitati magis adversatur pusillanimitas, quæ est vitium per defectum, quàm præsumptio, quæ est per excessum. Humilitati autem magis opponitur superbia, quæ est vitium per excessum, quàm nimia sui abjectio, quæ est vitium per defectum.

Differunt etiam illæ virtutes penes rationes motivas & regulativas. Nam magnanimitas sumit motivum & regulam operandi ab eo quod est Dei in nobis: videns enim in se magnanimitas magna Dei dona, aut saltem magna auxilia sibi promissa, sumit inde motivum & regulam operandi magna, eorum arduitati non succumbens, quia scit non superexcedere talia dona vel auxilia; dumque magna agit, reputat se, non propter se, sed propter illa quæ ex Deo accepit, magno honore dignum, & quiddid minus est honoris & laudis (uti est quiddid potest ab homine retrahui) tanquam illis inadæquatum contemnit. Cæterum humilitas sumit motivum & regulam suæ operationis ab eo quod in nobis est ex nobis ipsis, vidensque nos ex nobis solum habere defectum, imperfectionem, & culpam, quibus non excellentia & honor, sed vilipensio & contemptus debetur, cohibet animum, ne ad illa tanquam ad aliquid sibi secundum se debitum tendat, & ne ista tanquam se indigna refugiat. Unde nulla ex his virtutibus alteri contradicit, licet videantur contrario modo procedere: quia optimè stat, ut idem homo ex Dei donis ad magna tendat, quod est esse magnanimum; & ex sibi proprijs ad ima se dejiciat, quod est esse humilem. Et idè Apostolus, qui ut magnanimitas alebat: *Omnia possum in eo qui me confortat, ut humilis prædicabar: Non quasi sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Hæc Salmanticenses loco citato.

Colliges secundò cum iisdem Authoribus, quòd licet humilitas & religio magnam habeant inter se similitudinem & affinitatem, eò quod utraque importet professionem divinæ excellentiæ, & nostræ erga Deum subjectionis; differunt tamen, quia quod respectu unius est formale & primarium, respectu alterius est quasi materiale & consequens. Actus enim religionis primario continet testificationem divinæ excellentiæ, & secundario nostræ vilitatis, quatenus hæc arguitur ex omnimoda dependentia à supremo illo principio. E contra verò actus humilitatis primario dicit confessionem nostræ vilitatis & inferioritatis; implicite autem & ex consequenti testatur illo excellentiam primi principij, cui nos omnino submittimus, tanquam sine cujus influxu sub nihilo maneremus. Itaque humilis submittit se Deo, & ejus excellentiæ, ut seipsum deprimat, & intra mensuram propriam contineat: religiosus autem humiliat & deprimat se coram Deo, ut ejus excellentiam exaltet, & cultu illo influentiam Dei in omnes creaturas, ac supremum ejus dominium profiteatur.

Colliges